

PARS III.
 DE DURATIONIS כפרת טע
 SEU.
 OPERCULI
 PROPITIATORII.
 TERMINO.

§. I.

Hoc agentes, ut de *Durationis Termino*, כפרת טע, strictim, quædam commentemur, atque edisseramus, omnes, quotquot rerum harum gnari, quadantenus, sunt, haud gravatim, nobiscum sentient, quod alex plenum, dubiumque, opus, jam nunc, adgrediamur. Cum, enim, hoc super negotio, *Scriptores*, Θεόπνευστοι, certi quid scriptum nobis non reliquerunt, factum, hinc est, ut tot, discrepantes, *Doctorum* sententiæ, deprehendantur, & ab his illa, ab aliis alia, pro stabilienda sua hypothesis, argumenta, in medium proferantur. Omnis, interim, quæstio, huc, prope modum, redibit; Utrum, scilicet, (1) PROPITIATORIUM, una cum *Templo primo*, esse desierit? An, vero, potius, illud, (2) exciso, licet, *Templo priori*, salvum, nihilominus, atque incolume, substiterit? & (3.) Utrum, si, ita, superfuerit, in *Templo*, etiam, *secundo*, idem istud, huc dum, comparuerit? & (4) denique, quo illud, tandem, (Sive fuerit in *Templo II.* sive non) devenerit? Singula hæc, singulatim, etiam, tantisper, expendemus.

§. 2. PROPITIATORIUM, simul cum *Templo primo*, esse desiisse, omnes isti statuunt necesse est, qui aut *Arcam*, simul cum *Propitiatorio*, in VRBIS excidio, in *Babyloniam* transportatam fuisse, arbitrantur; aut corruptam, a *Babyloniis*, in *Templo*, istam fuisse, asseverant; vel, etiam, ca-

F 3

ptis,